

Decimas honorum hujusmodi a nemine exigendas declarat. Monachis vero, ordinationes recipere, Altariumque consecrationes a solibus Episcopis concedi, Bobien-Sedis Vac. Decretum inunitatis pro Monasterio quiete.

Solita clausula.

dam in Marzelsco, pratum quod dicitur Codognarium, cum vineis sibi adjunctis, vineam intra Civitatem, & Molendina; quæcumque etiam prefatus Simon Episcopus, vel antecessores ejus, sive Aluisa Uxor Marchionis Marcelli cum filiis suis, vobis rationabiliter concesserit, similiter confirmamus. Sane laborum vestrorum, quos propriis manibus & sumptibus colitis, si ve de nutrimentis animalium vestrorum, nullus omnino Clericus vel Laicus decimas a vobis exigere presumat. Si vero eadem Episcopalis Sedes vacaverit, vel Catholicum Episcopum non habuerit, Chrisma, Oleum Sanctum, Consecrationes Altarium, seu Basilicarum, Ordinationes Ecclesiasticas a quocunque malueritis Episcopo, vobis suscipere liceat. Decernimus ergo, ut nulli omnino hominum liceat prefatum Monasterium temere perturbare, aut ejus possessiones auferre, vel ablatas retinere, minuere, seu quomodolibet fatigare; sed omnia integra conserventur eorum, pro quorum sustentatione & gubernatione concessa sunt, usibus omnimodis profutura: salva Summi Pontificis canonica justitia. Si qua igitur in futurum ecclesiastica secularive persona, hanc nostre constitutionis paginam sciens, contra eam temere venire tentaverit, secundo tertiove commonita, si non reatum suum congruo satisfaciendo correxerit, potestatis honorisque sui dignitate careat, reamque se divino iudicio existere de perpetrata iniquitate cognoscat, & a sacratissimo Corpore & Sanguine D. N. Redemptoris Jesu Christi aliena fiat, atque in extremo examine districtæ ultioni subjaceat: Cunctis autem eidem loco sua jura servantibus sit pax Domini nostri Jesu Christi, quatenus & hic bonæ actionis fructum percipiant, & apud districtum Judicem præmia æterna pacis inveniant. Amen, Amen, Amen. (a)

LXXXI.

Decretum, ut in Monasteriis ab Ottone Bambergensi Episcopo fundatis idem semper Ordo pro religionis & disciplinæ spiritualis stabilitate atque immutabilitate conservetur.

Innocentius Episcopus, Servus Servorum Dei, venerabili fratri Ottoni Bambergensi Episcopo, ejusque successoribus canonicè substituendis, salutem & Apostolicam benedictionem.

Quotiens a nobis petitur illud, quod religioni & honestati convenire cognoscitur, animo nos decet libenti concedere, & congruum impartiri suffragium, ut fidelis devotio celerem fortiat effectum. Proinde, venerabilis frater Otto Episcopo, petitionis desiderii tuæ ex consueta Sedis Apostolicæ mansuetudine clementer annuimus; In primis siquidem statuentes, ut tenor Religionis, qui in Ecclesiis tibi commissis est per tuam diligentiam, cooperante Domino, institutus, firmiter in eis perpetuis temporibus conservetur. Constituimus etiam, ut

(a) Chronologica nota nulla; Margaritus vero asserit dat. Diploma die 8 Martii anni 1142. Accuratè præcisèque quidem nimis.

Edicti Cantuarii Antiqui. Lib. 1. c. 10. vita beati Ottonis scripta ab au. Hinc Anony. Sincrono.

Proemium.

in eisdem Ecclesiis nullus per simoniacam hæresim statuatur, sed honestæ personæ, quibus utique morum & status dignitas suffragatur, inibi ordinentur. Sane in Coenobiis, quæ vel antiquitus in tua Parochia constructa sunt, vel tu ipse devotionis intuitu constituisti, seu aliis justis modis Ecclesiæ tuæ unire poteris, vel ab aliquo deinceps fidelium infra tuam Diocesim, divina inspirante gratia, constentur, sacre Religionis ordinem manere decernimus. Nec alicui liceat, ejusdem institutionis formam ullatenus permutare, nisi forte ad melioris status prerogativam, præstante Domino, promovere voluerit; nec id alicujus singulari iudicio committatur, sed omnium Monasteriorum, ad Babergensem Ecclesiam pertinentium, aut sanioris partis consilio ac consensu, fieri debere sancimus. Si quis autem huic nostre constitutioni temere contraire tentaverit, si non factum suum digna satisfactione correxerit, a sacratissimo Corpore & Sanguine Dei & Domini Redemptoris Jesu Christi alienus fiat, atque in extremo examine districtæ subjaceat ultioni. Conservantes eisdem Locis quæ iusta sunt, omnipotentis Dei, & beatorum Apostolorum Petri & Pauli ac nostram gratiam consequantur.

LXXXII.

Confirmatio Ecclesiarum S. Remigii de Plajotro, de Barbona, de Lintis, de Lintellis, & de Sancto Silvestro, ab Attone Trecenti Episcopo Cluniac. Monasterio donatarum.

Innocentius Episcopus, Servus Servorum Dei, dilectis filiis Petro Abbati, & Monachis Cluniacensibus, salutem, & Apostolicam benedictionem.

Quæ vobis, & fratribus vestris, ab Episcopis, & Ecclesiarum Dei Rectoribus, Religionis intuitu rationabiliter data esse cognoscimus, tamquam nostra volumus observare, & auctoritate Sedis Apostolicæ, in qua Domino presidente residemus, ut perpetuis observentur temporibus, communire. Concessionem igitur Ecclesiarum S. Remigii videlicet de Plajotro, de Barbona, de Lintis, de Lintellis, & de S. Silvestro, a venerabili fratre nostro Attone Trecenti Episcopo, vestro Monasterio & vobis factam, firmamus, & præsentis scripti munimine roboramus. Si quis autem huic nostre confirmationi sciens contraire tentaverit, indignationem omnipotentis Dei, & beatorum Petri & Pauli Apostolorum ejus se noverit incursum. Datum Laterani XVII. Kal. Augusti.

Ex Biblioth. Cluniac. Martini Marrier. vol. 1408.

Im-

LXXXIII.

COELESTINUS II.

PAPA CLXV.

ANNO ÆRÆ CHRISTI COM. MCXLIII.



Imperatori Lothario, & ejus loco Henrico Bavarie Duci, conceditur investitura Alodii terrarum, Comitissa Mathilde Sedi Apost. donatarum.

Ex Tom. XII. Concil. & Baronii Annal. ad ann. 1133.

Christiane Reipublice bonum ab unionem Sacrorum & Imperii proficiens.

Lotharii Imperatoris præcipua laus.

Ei Alodium per investituram conceditur.

Sub censu annuo 100. libr. argenti, Revolutione in integrum ad Sedem Apost. post ejusdem obitum, Hospitalitate.

Et conditione, ut ejus Arcium cures fides fidelitatem S. A. jurare debeant. Eadem Investitura Henrico Bavarie Duci conceditur cum eisdem clausulis.

Innocentius Papæ II. Lothario Imperatori Augusto & Riget Imperatrici.

Sicut auctoritas sacra Pontificum, & potestas Imperialis, veræ glutino caritatis ad invicem copulentur, Omnipotenti debitus famulatus libere poterit exhiberi, & Christianus populus grata pace & tranquillitate gaudebit. Nihil enim in presentis sæculo est Pontifice clarius, nihil Rege sublimius: nihil est quod lumine clariore præfulgeat quàm recta fides in Principe, nihil est quod ita nequeat occasui subjacere quàm veræ Religio. Quæ nimirum omnia tanto manifestius, Deo gratias, in persona tua clarescunt, quanto ab ineunte ætate amator religionis & cultor justitiæ extitisse cognoscitur, & novissime diebus istis, nec personæ tuæ, nec propria parcendo pecuniæ, pro beati Petri servitio multos labores & immensa pericula pertulisti. Cum ergo, testante sacro eloquio, etiam mali patres bona data filiis suis debeant impartire, dignum profecto est, ut nos, qui disponente Domino universis catholicæ Ecclesiæ filiis debemus sollicitudinè paternæ consulere, personam tuam arctius diligamus, & tamquam specialissimo Ecclesiæ defensori in his, quæ ad statum imperii in suo robore conservandum, & utilitatem ac liberationem catholicæ Ecclesiæ spectare noscuntur, tam secundum ecclesiasticum officium, quàm temporaliter, imperatoriam potentiam augeamus. Hoc nimirum intuitu Alodium bonæ memoriæ comitissæ Mathildæ, quod utique ab ea beato Petro constat esse collatum, vobis committimus, & ex Apostolicæ Sedis dispensatione concedimus, atque in præsentia fratrum nostrorum Archiepiscoporum, Episcoporum, Abbatum, necnon Principum & Baronum, per annum investimus: ita videlicet, ut centum libras argenti singulis annis nobis & successoribus nostris exolvat, & post tuum obitum proprietatis ad jus & dominium sanctæ Romanæ Ecclesiæ cum integritate absque diminutione & molestia revertatur. Quod si nos vel successores nostros in eandem terram venire, manere, transire oportuerit, tam in susceptione, quàm in procuratione, atque securo conductu, prout Apostolica Sedes decreverit, honoremur. Qui vero arces tenuerit, vel rector terræ fuerit, beato Petro & nobis nostrisque successoribus fidelitatem faciant. Ceterum pro caritate vestra, nobili viro Henrico Bavarie Duci genero vestro, & filie vestre uxori ejus, eandem terram cum præfato censu & supradictis conditionibus apostolica benignitate concedimus: ita tamen, ut idem dux hominum faciat, & fidelitatem beato Petro ac nobis nostrisque successoribus juret. Post quorum obitum, prædictum Comitissæ Mathildæ Alodium in jus & dominium sanctæ Romanæ Ecclesiæ, sicut supradictum est, integrum & absque diminutione atque difficultate aliqua reducatur: salvo tamen semper in omnibus ejusdem S. R. E. jure ac proprietate. Dat. Lat. VI. Idus Junii. (a).

(a) Scilicet anno 1133. quo concessa hujusmodi est Investitura.

Guido, natione Tuscus, Presbyter Cardinalis sancti Marci, electus est Romanus Pontifex die 26. Septembris 1143. dieque eadem, quæ in Dominica incidit, ordinatus & inthronizatus, ac dictus Coelestinus hujus nominis Secundus. Sedit in Pontificatu menses v. dies xiii. Imperantibus in Oriente Manuele Commeno, in Occidente Conrado III. Imperatoribus. Obiit siquidem die 9. Martii sequentis anni, & sepultus est in Ecclesia Lateranensi. Vacavit Sedes dies iii.

I.

Confirmatio honorum omnium, ad Canonicos sancti Mariani Eugubina Civitatis pertinentium, cui privilegia nonnulla conceduntur.

Coelestinus Episcopus, Servus Servorum Dei, dilectis filiis, Benedicto Præposito, ejusque fratribus, in Ecclesia Episcopalis Sedis Beati Mariani Eugubina Civitatis, Domino famulantibus, tam presentibus quàm futuris, in perpetuum.

Desiderium, quod ad Religionis promotionem, & animarum salutem pertinere monstratur, animo nos decet libenti concedere, & petentium desideriis congruum imperitari.

Ex Membranis Archiepiscopi Eugubini editis Ugelli. Ital. Sac. T. I.

Exordium.



Bona ad Canonice pertinetia confirmat.

Ex his nonnulla enumerat.

Nonnulla eisdem concedit Privilegia.

Coelestini PP. & S. R. E. Cardd. sub- scriptiones.

Dat. die 19. Octob. anno Dom. 1143. Pontif. ann. 1. leg. VI.

tiri suffragium. Eapropter dilecti in Domino filii, postulationibus vestris clementer impertimur assensum, & Ecclesiam B. Mariani, in qua divinis estis mancipati, Apostolici privilegii paginam communimus; Statuentes, ut quascumque possessiones, quaecumque bona idem Locus impraesentiarum canonicè possidet, aut in futurum concessione Pontificum, largitione Regum vel Principum, oblatione fidelium, seu aliis iustis modis, prestante Domino, poterit adipisci, firma vobis in perpetuum, & illibata permaneant: In quibus propriis hac duximus exprimenda vocabulis: Plebem scilicet S. Joannis de Civitate, plebem S. Mariae Serratam, plebem de Eusciano, plebem S. Mariae de Glodiano cum plebe sancti Donati, & sancti Viriani, plebem sancti Gervasii, curtem de Lavari cum aliis omnibus Ecclesiis ac bonis, praedictae Ecclesiae pertinentibus; cappellam S. Bartholomei, cappellam S. Crucis, cappellam S. Verecundi, cappellam S. Angeli, cappellam S. Georgii, cappellam S. Savini, cappellam S. Angeli, cappellam S. Christophani, cappellam S. Salvatoris, cappellam S. Mariae de Mediano, cappellam S. Bartholomei de castro Venali, cappellam S. Mariae, & cappellam S. Georgii de Cortiva, cappellam S. Mariae, cappellam S. Margaritae cum omnibus suis pertinentiis, castrum montis Juliani cum curte sua, castrum Galgate cum curte sua, castrum vallis Marule cum curte sua, castrum Alganar, castrum Agelli. Prohibemus quoque, ut infra antiquos terminos majoris sive baptismalis Ecclesiae absque vestra permissione nullus Ecclesiam edificare praesumat, nec ab hominibus infra eosdem terminos habitantibus decimas vel oblationes exigat, nec eos ad sepulturam ad alia loca transire compellat; sed juxta Apostolum, quibus spiritualia feminatis, eorum carnalia nullo prohibente metatis; clericos vero, sive laicos, qui de seculari habitu converti, & in vestra Ecclesia religiosè vivere voluerint, recipiendi facultatem liberam vobis concedimus; sepulturam quoque ipsius loci liberam esse decernimus, ut eorum devotioni, & extremae voluntati, qui se illic sepeliri deliberaverint, nisi forte excommunicati sint, nullus obstat: salvo jure Matricis Ecclesiae. Decernimus ergo, &c. Amen.

Locus & Sigilli. EGO COELESTINUS Catholicæ Ecclesiae Episcopus. Ego Conradus Sabinensis Episcopus. Ego Stephanus Praenestinus Episcopus. Ego Gregorius Presb. Card. tit. S. Calixti. Ego Thomas Presb. Card. tit. Vestinae. Ego Petrus Card. Presb. tit. S. Susanna. Ego Gregorius Diac. Card. SS. Sergii & Bacchi. Ego Otto Diaconus Card. tit. S. Georgii ad Velum aureum. Ego . . . Bald. Diac. Card. S. Mariae in Vialata. Ego Petrus Diac. Card. S. Mariae in Porticu. Ego Nicolaus Diac. S. R. E.

Datum Later. per manum Gerardi S. R. E. Presb. Card. ac Bibliothecarii, XIV. Kal. Novemb. Indict. VII. Incarn. Dom. an. MCXLIII. Pontif. vero D. Coelestini Papae anno I.

II. Privilegium pro Monasterio Sanctissimi Salvatoris, & sancti Quirici Populonien.

Coelestinus Episcopus, Servus Servorum Dei, dilecto filio Alberto Abbati Monasterii sancti Salvatoris, & beati Quirici Populonien: ejusque successoribus regulariter substituendis in perpetuum.

Offici nostri nos hortatur auctoritas, ut religiosas personas, & Loca, eorum regimini deputata, paternis affectibus diligamus, & ipsorum quieti salubriter, auxiliante Domino, provideri curemus. Proinde dilecte in Domino fili Alberte Abbas, tuis rationabilibus postulationibus clementer annuendum duximus, & Salvatoris Domini nostri Jesu Christi, ac sancti Quirici Monasterium, cui Deo auctore praesse dignosceris, sub B. Petri tutelam protectionemque suscipimus, & Apostolicae Sedis privilegio communimus; Statuentes, ut quascumque possessiones, quaecumque bona idem Monasterium impraesentiarum iuste & legitime possidet, aut in futurum concessione Pontificum, largitione Regum, vel Principum, oblatione fidelium, seu aliis iustis modis, prestante Domino, poterit adipisci, firma tibi tuisque successoribus, & illibata permaneant: In quibus hac propriis nominibus duximus adnotanda: totam videlicet terram illam, quae est a Cala sancti Ambrosii usque ad collem Scultatori, quemadmodum usque ad haec tempora, cum silvis, vineis, terris, cultis vel incultis, pacifice videmini possidisse; Montem videlicet Civitatis destructae, quae antiquitus Popolonia vocata est, cum omnibus suis appendiciis ibidem consistentibus, Ecclesiam S. Christophori cum omnibus suis pertinentiis, quae in Live'llino sita est, Ecclesiam S. Blasii, quae sita est in Laborcone, cum omnibus suis pertinentiis: In Corsica Ecclesiam S. Nicolai in Monario cum omnibus suis pertinentiis, & edificii piscinali, Ifredi, Falconaja, Franciola, Castellone, cum omnibus suis pertinentiis, Molendinum de Guidalto, la Cossella, Fabricianum, Salive, Caldarella. Decimas quoque possessionum vestrarum, sicut haecenus quietè possidetis, vobis nihilominus confirmamus. Porro ordinationes Clericorum, seu Monachorum vestrorum, qui ad sacros ordines fuerint promovendi, pro libertate & reverentia ejusdem Loci hoc decreto nostro indulgemus, ut, quem malueritis, adeatis Antistitem; si quidem Catholicus fuerit, & gratiam Apostolicae Sedis habuerit, eaque gratis, & absque pravitate, quod postulatur, indulgeat. Item constituimus, ut, obeunte Abbate, non alius ibi quacumque obreptionis auctoritate ordinetur, nisi quem fratres ejusdem Cenobii cum communi consensu secundum timorem Dei elegerint, maxime si de eadem Congregatione idoneus inventus fuerit: quod si talis, qui huic regimini congruat, inter eos inveniri non possit, aliunde sibi patrem & magistrum expectent. Decernimus ergo, ut nulli omnino hominum liceat, praefatum Monasterium temerè perturbare, aut ejus possessiones auferre, vel ablatas retinere, & aliquibus vexationibus fatigare; sed omnia integra conserventur, eorum, pro quorum gubernatione & sustentatione concessa sunt, usibus omnimodis profutura. Si qua igitur in futurum ecclesiastica secularive persona, hanc nostrae constitutionis paginam sciens, contra eam temerè venire temptaverit, secundò tertiove commonita, si non reatum suum congruè satisfaciendo correxerit, potestatis honorisque sui dignitate careat, reamque se divino judicio existere de perpetrata iniquitate cognoscat, & a sacratissimo Corpore & Sanguine Domini nostri Redemptoris Jesu Christi aliena fiat, atque in extremo examine districtè ultioni subjaceat: Cunctis autem eidem loco sua servantibus sit pax Domini nostri Jesu Christi, quatenus & hic bonae actionis fructum percipiant, & apud districtum Judicem premia aeternae pacis inveniant. Amen. Amen. Amen.

Exordium. Confirmat quoque decimas possessionum omnium Monachis sacros ordines a quo manuerint Episcopo recipiendi tribuit facultatem.

Ab istodem tantummodo Abbate eligi statuit.

Decretum immunitatis, & executionis.

Ex Archiep. Monast. Amiatini editis Ughe'llis, ubi de Ecclesia Populonien.

Exordium.

Monast. sub protectione B. Petri suscipiens.

Ei bona omnia confirmat.

Quorum partem eorum rat.

Confirmat quoque decimas possessionum omnium Monachis sacros ordines a quo manuerint Episcopo recipiendi tribuit facultatem.

Ab istodem tantummodo Abbate eligi statuit.

Decretum immunitatis, & executionis.

Sub solis et astantibus.

Coelestini PP. & S. R. E. Cardd. sub- scriptiones.

Dat. die 9. Decembris anno Domini 1143. Pontif. anno I.

Super edita ex archiepiscopato siciliano.

Exordium.

Dignitas sanctorum locorum in Jerusalem.

Ecclesiam S. Sepulchri eiusque fratres sub protectione Sedis Apost. recipiens.

Eis donationes Godefridi Ducis, utriusque Regis Balduini, Patrum.

tatione concessa sunt, usibus omnimodis profutura. Si qua igitur in futurum ecclesiastica secularive persona, hanc nostrae constitutionis paginam sciens, contra eam temerè venire temptaverit, secundò tertiove commonita, si non reatum suum congruè satisfaciendo correxerit, potestatis honorisque sui dignitate careat, reamque se divino judicio existere de perpetrata iniquitate cognoscat, & a sacratissimo Corpore & Sanguine Domini nostri Redemptoris Jesu Christi aliena fiat, atque in extremo examine districtè ultioni subjaceat: Cunctis autem eidem loco sua servantibus sit pax Domini nostri Jesu Christi, quatenus & hic bonae actionis fructum percipiant, & apud districtum Judicem premia aeternae pacis inveniant. Amen. Amen. Amen.

EGO COELESTINUS Eccl. Catholicæ Episc. ss. Ego Conradus Sabinensis Episcopus ss. Ego Theodewinus sanctae Rufinae Episcopus ss. Ego Albericus Ostiensis Episcopus ss. Ego Gregorius Diac. Card. SS. Sergii & Bacchi ss. Ego Otto Diac. Card. S. Georgii ad Velum aur. ss. Ego Ubalduus Diaconus Cardinalis sanctae Mariae in Vialata ss.

Datum Laterani per manum Gerardi sanctae Romanae Ecclesiae Cardinalis, ac Bibliothecarii, IX. Decembris Indictione VI. Incarnationis Dominicae anno MCXLIII. Pontificatus vero Domini Coelestini II. Papae anno I.

III. Sancti Hierosolymitani Sepulchri fratres recipiuntur sub protectione Sedis Apostolicae, eisque bona, & jura confirmantur.

Coelestinus Episcopus, Servus Servorum Dei, dilectis filiis, Petro Priori, & fratribus sancti Sepulchri Hierosolymitani, tam praesentibus quam futuris canonicè substituendis, in perpetuum.

Si mansuetudo & liberalitas sanctae Romanae Ecclesiae universis Christianis debet opportuna solatia ministrare, multo magis his, qui religiosam vitam ducunt, & omnipotenti Domino familiariter adherere videntur, id ipsum convenit propensius impartiri. Quia igitur, dilecti in Domino filii, juxta regulam beati Augustini vivere decrevistis, & in loco, ubi steterunt pedes Domini, adorantes apud gloriosum Sepulchrum ejus, in quo triduo corporaliter quiescivit, & alia sacratissima Loca, in quibus Redemptor mundi pro salute nostra vincula, flagella, Crucis ignominiam, vulnera, mortemque sustinuit, regulariter militatis, majori vos benevolentia & gratia dignos esse censemus. Vestris ergo postulationibus debita benignitate accommodantes assensum, sacrosanctam Ecclesiam sancti Sepulchri, in qua divinis obsequiis insistentes Passionem Dominicam, & victoriosissimum Crucis triumphum assidue oculata fide recolitis, nec non etiam Personas vestras, sub beati Petri & nostrae protectione suscipimus, & praesentis scripti paginam communimus; Statuentes, ut quascumque possessiones, quaecumque bona, eadem Ecclesia impraesentiarum canonicè possidet: quaecumque etiam ab egregiae memoriae Viris, Duce videlicet

Godefrido, & utroque Rege Balduino, Venuto quoque, & aliis Patriarchis, eidem Loco iuste collata sunt, aut imposterum a Patriarchis, vel aliis Dei fidelibus rationabiliter conferentur, firma vobis & illibata permaneant: In quibus hac propriis duximus exprimenda vocabulis: Medietatem videlicet oblationum S. Sepulchri, & omnes oblationes Altarium in Ecclesia sancti Sepulchri existentium, sicut Patriarcharum dono vobis rationabiliter donatae sunt: Domos, stationes, & furnos omnes civitatis Hierusalem, exceptis duobus, Hospitalis videlicet, & Ecclesiae sanctae Mariae Latinae, sicut dono Ducis Godefridi, & fratris ejus Balduini, & aliorum bonorum hominum vobis legitime concessa sunt: casaliaque, quae possidetis in territorio Hierusalem, Mahumercam videlicet cum pertinentiis suis, Sabaret, Cafarcab, Calandiam, Armotiam, Ramittam, Bertilgeb, Bethsari, Deveris cum pertinentiis suis: In territorio Caesariensi castellum Feniculi cum pertinentiis suis: In territorio Tyri, castrum de Riva cum pertinentiis suis; Hortum, quem habetis inter murum & antemurale Civitatis Tyri; Hortum, quem habetis infra & circa Antiochiam; Ecclesiam Quarantena cum pertinentiis suis; Ecclesiam sancti Petri in Joppa cum pertinentiis suis; Ecclesiam sancti Sepulchri in Acon cum terra & domo, quam dedit vobis Lambertus Als, & aliis pertinentiis suis; in territorio ejusdem civitatis Ecclesiam sanctae Mariae de Humas cum pertinentiis suis; Ecclesiam sanctae Mariae in civitate Tyro cum pertinentiis suis; Ecclesiam sancti Sepulchri in monte Peregrino cum pertinentiis suis; Ecclesiam sancti Georgii in Montanis cum pertinentiis suis; Ecclesiam sancti Sepulchri in Brundisiana civitate cum pertinentiis suis, Ecclesiam sancti Sepulchri in Barleto cum pertinentiis suis; Ecclesiam, quam habetis in Venusina civitate dono Nicolai ejusdem civitatis Episcopi cum pertinentiis suis; Ecclesiam sancti Sepulchri juxta Trojam civitatem cum pertinentiis suis, Ecclesiam sancti Theodori Martyris ante portam Beneventanae civitatis cum pertinentiis suis, Castellum Cereti cum pertinentiis suis, quod nobilis vir Albertus Bolandracens Comes Ecclesiae sancti Sepulchri donavit: Ecclesiam, quam habetis in Episcopatu Constantiensis in villa, quae vocatur Irendorf. Decernimus ergo, ut nulli omnino hominum liceat, praefatam Ecclesiam temerè perturbare, aut ejus possessiones auferre, vel ablatas retinere, seu quibuslibet molestiis fatigare; sed omnia integra conserventur, eorum, pro quorum gubernatione & sustentatione concessa sunt, usibus omnimodis profutura: salva Apostolicae Sedis, & Episcoporum, in quorum parochiis Ecclesiae vestrae sitae sunt, canonica justitia. Si qua igitur in futurum ecclesiastica secularive persona, hanc nostrae constitutionis paginam sciens, contra eam temerè venire tentaverit, secundò tertiove commonita, si non satisfactione congrua emendaverit, potestatis honorisque sui dignitate careat, reamque se divino judicio existere de perpetrata iniquitate cognoscat, & a sacratissimo Corpore & Sanguine Dei & Domini Redemptoris nostri Jesu Christi aliena fiat, atque in extremo examine districtè subjaceat ultioni; Cunctis autem eidem Loco iuste

charum, ceterorumque fidelium confirmat.

Solita conclusiones.